

Letter 25: 15 February 1519, [Strasbourg], Otto Brunfels to Capito.

The work was published as *Confutatio sophistices* (Sélestat: L. Schürer, 1520) with the letter to Capito on ff. a2 recto-b recto.

V. Fabritio Capitoni concionatori Basiliensi Otho Brunfelsius Mog. S. D.

Olim me monebas, doctissime Fabrici, ut si vellem quam maxime pius evadere ac vere Christum imbibere, Origenis legerem commentarios. Idque faciebas non tam ut ad meliorem frugem me institueres, quam ut abstraheres a literis prophanis. Proditus enim tibi fueram quod
5 illis immodice deditus essem; astu tandem me abduxisti, quamquam tum ipse fraudem non agnoverim. Sed o deum immortalem, quam laudata versutia, quam pie me circumvenisti! Adquievi, legi et nedum Origenem, sed et Ambrosium, Chrysostomum, Nazianzenum, Hilarium, Hieronymum, et usque nunc totum me continent, habent, possident. Lego illorum graves et sonantes sententias, cuique suum esse candorem: illum pressum atque circumscriptum, hunc
10 adductiorem; illum Demosthenico quodam lepore mire afficientem, saeviore alium. Chrysostomo quid doctius? Quid politius? Quid fidius? Quid gravius? Hilario quid pressius? Quanta sermonibus illius fides? Quanta autoritas? Origene quid dulcius, quid mellitius, quid christianius? Ut interim alios praeteream, nescio siquid eruditius Hieronymo, nam mihi ille non unus homo, sed literae ipsae omnes bonaeque artes in illo uno summum periculum fecisse
15 videntur. Cyrillus, concinnus quidem, sed omnino exquisitus et excultus, narrat aperte, luculenter, pugnat acriter. Postremo docet, delectat, afficit, trahit. Nihil illis nugarum sophisticarum, nullus Aristoteles, et bis Sex Principiorum autor, nulla infantia, nullus distinctionum tepor, eadem omnino dicendi venus omnibus. Ubique tinniunt Apostolum, sonant Evangelium, referunt prophetas, omnia et in omnibus Christus. Nulla inter eos verborum pugna,
20 nulla dissensio, nisi cum haereticis et philosophis, qui Christi mysteria humanis captiunculis nituntur concludere. Sectas magnopere detestantur, id quod me movit (mi Fabrici) ut scriberem.

Dubito ne aut ipsi non fuerint theologi, vel si sunt, nos parum sincere, immo frigidissime tractare theologiam scientiam. Tolle a me hunc script[um]! Passim theologorum [gr.] mouseia Aristoteles replet, ubique in Athenais Thomisticam astruunt, et Scotinam, Ockianam,
25 Herveicam, Durandinam, insolentissimam pugnacissimamque, purae atque germanae nullus esset locus. Fere iam non licet sacram dignoscere a sophistica, vereor ne si a quibusdam Aristotelem tuleris, et summulas cuiusdam Hispani, ampliaciones, restrictiones, insolubilia, et obligatoria, iam nihil sani sit reliqui. Unde nobis haec pestis? Gravis autor in philosophia Aristoteles, fateor, quem si Platoni iunxerint atque Plutarcho nostrates philosophi, nemini dubium, quin probe tractaturi sint philosophiam. Sed illi quid commercii cum sacris? Quae conventio Belial ad
30 Christum? Quae participatio tenebrarum ad lucem? Quorsum attinet in ius vocare nostrae religionis hostem et calumniatorem, ubi tot bonorum autorum ingenia nobis desudarunt, tam grandis copia commentariorum? Tam vilis est sacrae scripturae sermo ut humanis ratiociniis debeat fedari impuris et sordidis? Quomodo sancta et pura miscemus? Quid in sancta nostra porcos immittimus? Numquid de his nos increpat Christus? Nolite sanctum dare canibus. Unde
35 rursum fabulosa illa nobis reparatur [gr.] giganthomachia. Ille nos docebit Christum [gr.] ek pogonos sophos, comatulus, cynaedus, loquaculus, irrisor? Quem et illius [gr.] didaskalos plurimum indetestatus? Quid si ideo in questiones omnia vertunt, quod veritatem discutiant (ita enim cavillantur). Quid ad hoc conducit Aristoteles? Veritatem elicient ubi magis altercando
40 amittitur veritas? Alia via id fuerat tentandum, omnium de scripturis quaestionum absolutio illi soli, ita ut est, nota est, qui dixit: Ego sum veritas. Oportebat pia voluntate (ut inquit

Chrysostomus) et in sensu spirituali, cum timore et tremore ad inquisitionem accedere, et discere ut si aliquid invenerimus, intra fines beatitudinis illius debere concludi vel si defecerimus etiam (nam id omnino in alterius manu est) nequaquam tamen repraehensibiles nos esse, modo illa
45 faciamus quae nobis ille praecepit et illius paruerimus praeceptis. Si igitur quaestio¹ obvenerit, aut locus aliquis dubius scripturae, non necesse ut mysterium illius ex Aristotele eruas, sed purus sis et impollutus, deinde legas assidue, attente, et invenies. Qui enim quaerit invenit. Cuique etiam mediocriter docto theologum esse licet, una tantum adfuerit peritia linguarum et grammaticae proba institutio, quod si rhetoricae, poetices, historiarum, et aliarum bonarum
50 cognitione literarum imbutus aliquis fuerit, eo instructor accedet. Non video quid ultra necessarium sit theologo, quam ut talis sit qualem se fingunt scripturae, et quod meditetur in lege Domini die ac nocte; nullum prorsus negocium, tantum legat assidue. Et quemadmodum Darius dixit unum se malle Zopyrum quam centum Babylonas, ita ego talem unum malim theologum qui ex amussim legisset Hieronymum quam centum [gr.] logodedalous sophistas. Quid necesse
55 est homini scrutari altiora se? In supervacuis, inquit, rebus noli scrutari multipliciter, et in pluribus operibus eius non fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium ea quae abscondita sunt videre oculis tuis; plurima super sensum hominis ostensa sunt tibi, multos supplantavit suspicio illorum, et in vanitate detinuit sensus eorum. Sed quae praecepit tibi Deus, illa cogita semper. Paulus ut quosdam deterreret a curiosis huiusmodi quaestionibus quid ait? Noli, inquit,
60 altum sapere, sed time. Et nolo vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut sitis ipsi vobis sapientes; Et in sequentibus: Dico enim per gratiam quae data est mihi in omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Et apertius: Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, idipsum invicem sentientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Et ad Colossenses: Videte ne quis vos
65 depredeatur per inanem philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum² Christum. Neque anxios nos esse voluit in excutiendis subtilibus quaestionibus, neque philosophia mundana Christi fidem conspurcandam; nullibi lego, quod obtorta lingua instipet Aristotelem. Aratum lego et Menandrum et Epimenidem, sophisticas nenias non lego. Lego divum Athanasium, Hieronymum, Augustinum
70 quaestiones tractasse, verum non tam inepte, tam frivole, tam barbaramente, ut sophistae. Quale quaeso hoc acumen est, disceptare num Deus sit omnipotens, num Christi corpus simul possit esse in celo et in altari; notiora exempla tibi profero, quod haec iam pridem a quibusdam sunt disputata. Ad quid conducunt hae nugae nisi ad subversionem audientium, ad plausum captandum, ad tumorem? Quis tam stupidus, tam bardus, tam mentis inops, ut Deum non credat omnipotentem,
75 ut Christum non modo credat esse in sacramento, sed etiam adoret? Dixit Nabal: Non est Deus unus. Stultus dixit. Insania haec paucorum est. Ut enim consummata pietas paucorum est, ita nihilominus insignis amentia. Non putas, si idiota quispiam subintrasset atque illum superciliose et stridenti saliva importune vidisset contendentem, tacita secum sannia submurmurasse: Quid hic insanit? Et tamen iis fabulis omnes codices sunt respersi; qui has non novit, hunc explodunt,
80 hunc derident, veluti parum theologum. Quidvis magis habetur quam theologus qui ista non passim inculcat. Sed quorsum pervenio ut mihi dissolvas hunc nodum, mi Fabrici, ultra theologia praestantior sit, vetus ne, an sophistica? Non quod hoc ipse nesciam, sed ut idipsum persuadeas studiosis omnibus. Multum in hoc sudavit Erasmus Roterodamus doctissimus. Audio et Martinum Dorpium theologum orationem edidisse de laudibus Pauli, de pernicie³ sophisticas, de

¹ Corr.: quaestu.

² Corr.: secundst.

³ Corr.: perniciae

85 linguarum utilitate, de castigatione sacrorum codicum ad graeca exemplaria. Sed minime satis est
quicquid in eam operam collocatur. Age iacta iam dudum fundamenta, id solummodo reliquum
est, ut ranis ora claudantur, ne impudenter studiosis obganniatur. Mitto auctaria aliquot de
pernicie sophistices et curiosarum quaestionum, ut ad memoriam tibi refricem quae ipse legisti.
Mittam plura si voles; ansam tibi dabunt, atque cordatiorem facient, quo acrius inveharis in
90 sophistas. Videbis quanti fecerunt dialecticem antiqui, eo tempore quando sophisticis somniis ac
spinis nondum fuerat contaminata scriptura. Quid iam dicerent si viderent totam theologiam
huiusmodi nugis fedatam? Quamquam non simpliciter impugnant horum cognitionem, praecipue
Origines in Omelia xiiii super Genesim, Omelia ii super Exodo et passim alibi Hieronymus
similiter, sed eos damnant qui plus satis tribuunt ethnicis disciplinis et illorum decreta pene
95 aequant Christi decretis, cum philosophia [gr.] dis diapason a philosophorum opinionibus absit,
stultissimum sit si quid visum est Aristoteli cum hoc Christi leges confirmare vel probare velle.
Vale. Salutat te Michael Herus noster frater, Graece et Hebraice probe eruditus. Et Lampertus
theologus. Hebraica studia mea ad annum ferme intermissa ob frequentes meas infirmitates,
rursum incipio tractare. Fac ut Dictionarium hebreum quod nobis pollicitus es prodeat in lucem.
100 Saluta Pelicanum. Iterum vale. Datum xv Kalen. Martii, anno a Christo nato MDXIX.